



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conferentiæ Theologico Morales**

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum  
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,  
Confessariorúmque omnium

Ex Materia Septem Sacramentorum Atque Justitiæ De Restitutione  
Excerptæ

**Sargar, Eliseus**

**Augustæ Vindelicorum, 1720**

an infamator falsus teneatur dicere se falsum dixisse. n. 561.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41194**

facti, tenet obliteravit, reacquirat pristinum  
jus ad suam antiquam famam, consequenter,  
qui cum de novo infamat, injuriam ipsi infert:  
adeoque tenetur ad restitutionem.

CONFERENTIA CXIX.

Conventualis certi Monasterij N. habet cor-  
respondentiam cum alio Monasterio, cui 560.  
transcribit per modum novellarum crimen no-  
tum in suo Monasterio, non autem extra: an  
Tabellarius peccat peccato infamationis.

Resp. Utique peccare: Ratio est, quia cri-  
men illud non est notum absolute, sed cum li-  
mitatione intra certam communitatem (in  
proposito Monasterium) igitur non potest citra  
injuriam divulgari in alio loco, in quo de eo  
nihil scitur, quia non est absolute, sed solum  
respectivè, id est, pro hoc loco, notorium,  
quod noverent isti referendarii minus discreti.

CONFERENTIA CXX.

Decimus quintus disseminavit crimen falsum  
proximi inter multos, quaeritur an tenea-  
tur coram illis dicere, se falsum dixisse, si alia 561.  
commodiori via famam restituere nequeat.

Resp. Cum D. Th. 2. 2. q. 72. a 2. Scot. 4.  
D. 15. q. 4. n. 2. adeoque certa, affirmative:  
Ratio est: quia ad restituendum famam per fal-  
sam affirmationem ablatam requiritur, ut tol-  
latur falsa illa affirmatio: sed hæc non tollitur  
melius, quam per negationem contrariam: er-  
go si alia commodior via non substat, hæc ad-

hibenda est. Excipitur tamen, si sit magna inæqualitas inter infamatorem & infamatum, ut si ille esset Rex, Princeps &c. & hic homo plebejus: tunc enim sufficeret infamatori dicere se fuisse deceptum: aut via pecuniaria infamato satisfacere.

562

## CONFIDENTIA. CXXI.

**D**ecimus sextus quærit; an principalis diffamator teneatur etiam retractare apud alios, ad quos devenit detractio ex auditione primorum audientium.

Resp. Non teneri, si suo consilio aut iussu eos ad hoc faciendum non induxerit. Ratio est: quia posterior diffamatio tunc censetur fortuito, & ex malitia audientium contigisse.

563

## CONFIDENTIA. CXXII.

**D**ecimus septimus quærit, an detractor, qui alteri vera imposuit, sed occulta, teneatur dicere, se esse mentitum, si aliter restituere nequeat.

Resp. Possè quidem, sed non teneri. Ratio est: quia nemo tenetur dicere, se mentitum, qui mentitus non est: interim autem, quia dictum non fuit conforme legi divinæ, utpote peccaminosum; & in sacris scripturis peccatum est mendacium, hoc ipsum dictum, mendacium dici potest, ut sensus sit: ego dixi mendacium: id est: ego hoc dicendo, peccatum feci. Deinde quod verum non est veritate publica, sed occulta tantum, mendacium dici potest in publico.

CON.